mere poſſe. Sed cum Jeſu Chriſto *audemus omnia.*

contra pudore ſuffuſus ob miſeriam ſuam libentius diceret cum Sancto Petro, recede a me Domine, quia pollutus ſum. Oculos dejicit in terram velut Publicanus, illos in Cœlum non auſus attollere, ne, hoc ſaltem videtur, ad ſe Dei oculos convertat: ſed tamquam Maria Magdalena, quæ lacrymis ſuis Salvatoris pedes rigabat retro ad pedes ejus provoluta. Verum ſi peccator ſeipſum non audet oſtendere; dicit Deo, inſpice in filium tuum, intuere illius vulnera, & ſanguinem, & placaberis. Sed quid dico, itane loquitur peccator? Non ita; ipſe eſt Dei Filius, qui pro peccatore ſollicitat, qui Patri ſuo irritato infinitos offert ſuorum meritorum theſauros ut omnia juſtitiæ jura compleat; & per hoc ipſa etiam nobis favet juſtitiæ. *Idem.*

Ipſo pro nobis perorante nonniſi miſericordem æquitatem poſſumus expectare.

Jeſus Chriſtus, ut ita dicam, ſceleribus noſtris onuſtus non ſolum noſter mediator eſt, verum etiam, ut Sanctus Joannes ait, noſter apud Deum Advocatus. Inter duplicem hanc qualitatem aliquid diſcriminis adeſt. Mediator miſericordiam petit; ipſe eam petit tunc etiam cum illam non mereamur; & petit illam, ut videtur, non ſine quadam ſpecie timoris: Advocatus autem juſtitiam poſcit, cum firmitate quadam eam poſcit, poſcit cum auctoritate, & ſecuritate. Si Tribunal coram quo loquitur juſtum eſt, ac perſpicax flagitat illam vi argumentorum, quæ profert; & quin illum loci, ubi loquitur, juſtitia deterreat, in eadem Tribunalis juſtitia ſuam confidentiam conſtituit. Ita pro nobis loquitur Jeſus Chriſtus cum auctoritate, & ſecuritate loquitur præ ſe titulos ferens, & hi tituli æque certi ſunt ac ejus vulnera manifeſta. Suas etiam in Cœlo cicatrices ſervavit, quidam Pater ait, tamquam pretium ſuarum miſerationum. Quid ergo nobis timendum eſt? Quo æquior eſt judex, eo melius propitiam ſententiam expectare debemus, cum talis Orator pro nobis perorat. *Idem.*

Quamvis Dei miſericordia infinita ſit ſibi tamen quoſdam fines conſtituit.

Quemadmodum perperam argueret, ſi quis diceret; Dei omnipotentia infinita eſt, plures igitur mundos creabit; ita perperam ſibi blanditur, qui eo quod infinita illius eſt miſericordia, tenet, ipſum omnibus peccatoribus omne gratiarum genus conceſſurum. Divina potentia licet in ſe infinita quoſdam ſibi limites ſtatuit; ita & miſericordia. At poſt quem peccatorum numerum Deus ſuas renuit gratias? Hoc nos fallit. Unum aliquando ſatis eſt crimen. Rebelles Angeli quot commiſere peccata? Unum. Quot hominibus Cain mortem intulit! Uni. Quoties furatus eſt Achan? Semel. Quot gulæ peccata commiſit Eſau? Unum. Quot Simonias patravit Simon? Unam. *Dictionarium Morale.*

Dei erga pauperes miſericordia.

Rex Propheta teſtatur, Dominum eſſe plenum bonitate, prolixam habere patientiam, & numero carere ipſius miſericordias. Et ſane, Sanctus Auguſtinus ait, quam ſimile eſt diutinæ Dei patientiæ? Quid ſimile affluentiæ miſerationum illius? Homo peccat, Deus illum vivere patitur, nihil intentatum relinquit, ut homines ad converſionem excitet, nihil miſſum facit ut illos ad pœnitentiam invitet. Ad ſe illos arceſſit per beneficia ſua, illos arceſſit per ſanctam aliquam lectionem; illos arceſſit voce miniſtrorum ſuorum, quos mittit ad annunciandum verbum ſuum, illos arceſſit per ſanctas cogitationes quas in illis ciet; illos denique & ſeveritate ſuppliciorum, & conſolationum dulcedine arceſſit. *Lambert.*

Peccator non debet abuti elementia Dei ut in ſcelere perſeveret.

Quid agit homo Dei ſui indulgentiam conſpiciens? Hac abutitur, ut contra illum exurgat, & iterum offendat. Si ſcires debere Deum jure ſuo uti, ac ſtatim poſt primum ſcelus tuum illi pœnas ſumendas eſſe de te, teque præcipitem in infernum projicere, quonam timore, qua humilitate coram illo ambulares? Quid? quia ægre ſeſe excitat ad te perdendum, quia ſpatium ſibi ad illum redeundi permittit, quia te ipſum urget, ut revertaris, quia te licet inimicum ſuis cumulat bonis, ideo magis inſoleſcis, & ad illum laceſſendum audacior evadis? videlicet, Domine, fidelius homines tibi famularentur, ſi minora illis conferres beneficia, & ſi erga illos omni lenitate, & miſericordia caveres. Heu! Si Domine bonus es, patiens, miſericors; nonne hoc ipſum cogere debet, ut ita dicam, peccatores, ut agant pœnitentiam, & ſeſe tibi dedant? Attamen hoc ipſum in cauſa eſt, quod a te procul permaneat, & majori cum audacia, & impotentia in omne facinus ruat. *P. Segneri in Meditat.*

Deus per ſuam miſericordiam educit nos ex errore, ut ad ſanctitatem adducat. Job 1.

Eras nuda, & confuſione plena, & pertranſivi per te, & vidi te ..... Ex expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam meam. Verba hæc exhibent nobis admirabilem Dei bonitatem, qui per infinitæ miſericordiæ ſuæ effectum animam ex errorum tenebris educit, ut ad ſublimiorem ſanctitatis verticem illam attollat. *Eras nuda, & confuſione plena.* Anima peccatrix nuda eſt, quia omnibus virtutum ornamentis exuta? *Confuſione plena eſt*; quia ſceleribus onuſta. Deus ut ita loquar propter illam pertranſit: *Tranſivi*, & eam in hoc ſtatu videt, *& vidi te.* Videlicet in illam ſuam oculorum aciem figit, qua hæc illuminatur, & inde cognoſcit quam ipſi charus, ac jucundus eſſe debeat Deus ſuus: Ita Jeſus Nathanaelem reſpexit: *vidi te ſub ficu*; hoc eſt juxta Sancti Gregorii interpretationem, elegi te; quem enim hominem in terra non videt Deus, ubicumque ille ſit? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Deus per miſericordiam ſuam nos convenit, cum maxime dediti ſumus peccato.

Deus illud eligit tempus, quo homo mundi, vanitatis, & cupiditatum ſuarum amore magis occupatus eſt, ut in ipſum peramanter ſuos oculos figat. Tunc Deus illum ſibi integrum vult comparare, ut miſericordia ſua inſigniorem referat de humana miſeria triumphum: *Expectandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam.* Hoc nobis oſtendit gratiam, qua Deus prævenit animam, ut illam cohibeat, ſibique alliget gratiam adeo validam, officioſam, potentem, ut anima illi cedat ſemper, quamvis eidem reſiſtere valeat. Gratiam, quæ nos juſtificat, pone ſequitur gratiam, quæ nos amovet a culpa: utraque enim ex eodem principio proficiſcuntur. Cum enim anima, urgente gratia, cedere incipit; idem ſpiritus charitatis, quo primum ad Deum ſuum trahebatur, ſenſim in eamdem ſe inſinuat, eam pretioſis muneribus ornat, ciet in illa ſenſus contritionis teneræ, vivæ, ſinceræ, qua ſuorum ſcelerum deletur opprobrium; *Operui ignominiam tuam. Idem ibidem.*

Deus per miſericordiam ſuam animæ pœnitenti ſponſæ tribuit dignitatem.

Animam, quæ peccatrix olim pœnitens facta eſt, Deus ſibi dignatur ſponſam eligere. Apparatus, quos facit, ut illam ad hunc honorem extollat, totidem ſunt amoris pignora, quæ illi largitur. Confert autem illi ſpiritum pietatis, conſcientiæ religionem, donum lacrymarum, & præſertim ſtabilem ſpem, futurum ut illa ſit ei loco rerum omnium in mundo. Animæ hoc æque perſuaſum eſt, ac ſi Deus ſeſe illi palam oſtenderet hoc promiſſurus. Fide hac roborata init conſilium nexus omnes cum creatis rebus infringendi, ut unice Deo famuletur. Tunc Deus animam hanc ſibi aſſumit in Sponſam, ipſe illi, ipſi illa ſeſe obligat, & adeo arcta voluntatis conjunctione junguntur, ut anima non ſolum Dei ſit, tamquam alii juſti, ſed ut omnino, & abſolute tota illius ſit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Deus hoc modo agit ſolum cum electis animabus quas primis cœli ſubſelliis deſtinat, & cum quibus oblectatur colloquii in terra in altiſſimæ contemplationis tranquillitate. Quam felices ſunt animæ hujuſmodi, in quas dignaris Domine oculorum tuorum aciem convertere, ut eas tibi arctiſſimis miſericordiæ tuæ vinculis devincias: Scio, Domine, meam tanti muneris indignitatem; ſed ut tua eluceſcat miſericordia ſæpe reſpicis animas abjectiſſimas, ac maxime contemptibiles ut electas tibi ſponſas efficias. Quam aptus ſum ex hoc loco, ut fiam tuæ gloriæ inſtrumentum! *P. Segneri in Meditat.* Cant. 2.

Quanta fuit ira Dei adverſus Ægyptios, & quanta eſt adverſus peccatores.

Volens Deus iram ſuam exercere in Iſraelitas dicebat Moyſi: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus.* Quam ſublimem, & ſolatii plenum infinitæ bonitatis Dei noſtri conceptum, nobis hæc adſtruunt verba! Populus, quem Deus mero miſericordiæ ſuæ effectu præ cæteris terrarum gentibus elegerat ſibi in populum dilectum, in cujus gratiam nuperrime tot inſignia operatus erat miracula; populus cumulatus, & ſaturatus miraculis, & beneficiis qualia fuerunt flagella ſuper Ægyptios iterata, donec populo eidem libertatem donaſſent; tranſitus maris rubri ſicco pede trajecti; exquiſitæ dapes de cœlo demiſſæ; manna miraculoſum; panis cœleſtis, qui cujuſcumque guſtui adaptatur; pretioſum cum Deo fœdus etiam ut Deus eſſet ſuus, ſuus Patronus, legiſlator, & Pater: tot inter miracula atque alia plurima, quæ in ſingulas horas pro illis, & ſub eorum oculis fiebant, populus hic ingratus, & impius momento oblivifcitur tot inſignium beneficiorum, auctoriſque eorum, palam contra benefactorem ſuum rebellat, contra Deum, Patremque ſuum, atque impietatem ſuam ad exceſſum uſque protendens conflat ſibi vitulum aureum, hunc tamquam Deum ſuum thure colit, huic hoſtiis ſacrificat. Quibus fulminibus juſtiſſime irritata Dei ira uti non debet ad nationem adeo pravam internecione delendam? Nullus umquam populus extitit, qui ſeverioribus pœnis eſſet torquendus, nulli fuerunt umquam peccatores divina ultione digniores. Deus irritatus eſt; illius ira, & indignatio contra infidelem hunc populum irritatur; ſed ejus bonitas, & miſericordia magis adhuc elucet, quam illius iracundia. *Dimitte me,* dicit ille Moyſi, *ut iraſcatur furor meus.* Si vellet iraſci, nequaquam diceret Moyſi, *dimitte me*; iraſceretur, puniret, exterminaret. Cur prævertit ſervum ſuum, niſi eum admoniturus, ut precibus ſibi ille auferat arma? *Dimitte me.* Moyſes Deo non obſtitit umquam, ſed optat Deus, ut ille ſibi reſiſtat. Moyſes nondum illum precabatur, ut parceret; ſed timet Deus, ut Moyſes criminis atrocitatem deteſtatus preces non addat, ac ſe in nocentes ſinat deſævire. Deus agit tamquam Pater bonus, qui ægre fert, ubi videt ſe adigi ad neceſſitatem nocentem filium punienti; qui dum magis fervet ira, cupit, ut inter ſe, filiumque ſitum aliquis intercedat, ſibique virgam extorqueat, quam ad illum puniendum diſtrinxerat, ut auctoritate gravis vir pro improbo filio intercedat, eique aliquam præbeat cauſam, quam veniæ reo concedendæ prætexat. Ita Deus in peccatores operatur. *Dimitte me ut iraſcatur furor meus.* Vult preces Moyſis eſſe tamquam validum brachium, quod Dei manum ad feriendum pronam detineat; vel potius inſpirat, & in Moyſis corde format eas preces, quibus cedere vult: miſericordia Dei pugnante, ut ita dicam, cum ejuſdem juſtitia effectuſque hujus inhibente. Hoc in ſenſu, Patres inquiunt, Deus vehementer clamat, & tamen edit ſtrepitum, cum minitatur. Inducit Prophetam ſuum dicentem quod Deus arcum ſuum tendit, quod acuit ſagittas ſuas, quod illius ira inflammatur, & jamjam eruptura eſt. Qui tantum ſtrepitum edit, hic ſane non vult grave damnum inferre. *Dimitte, ut iraſcatur furor meus. Dimitte me*; hæc Sanctiſſimæ Virgini, quæ peccatorum refugium eſt, & patrona, hæc Sanctis Angelis Cuſtodibus, qui ſua intereſſe putant ſalutem eorum, quorum ſibi cura demandata fuit; hæc Sanctis Protectoribus, qui valide pro peccatoribus intercedere poſſunt; Hæc dicere videtur Deus: *Dimitte me*, ut parcendi cauſam habeam. *Aſcetica Exercitationes Patris Croiſet Tomo ſecundo.*

Numquam ex hoc infelicitatis ſtatu egreſſi fuiſſemus niſi per miſericordiam ſuam, Dei Filius nos liberaſſet. Ipſe divinæ ſatisfecit juſtitiæ pro ſceleribus noſtris; ipſe nobis eas gratias obtinuit, quæ ſunt converſionis noſtræ noſtrorumque bonorum operum principium; ipſe nos fecit corporis ſui membra. Ut coram Deo prodire poſſimus, ipſe tegit imperfectionem juſtitiæ noſtræ, ſua perfectione, alioquin enim peccata, quæ indeſinenter committimus, imperfectio, quæ in optimis actionibus noſtris reperitur, noſtri cordis impuritas, nos indignos præberent, qui noſmet offeremus coram Deo, & qui ab eodem benigne admitteremur. *Annus Evangelicus Lambert Tomo* 1.

Quænam validior fingi poteſt ratio, ut peccator ad converſionem agatur, hac Dei patientia? Bonitas Dei, Sanctus Paulus ait, nos ad pœnitentiam ingrediendam ſollicitat. Quoties dæmones magis impatientes, quam Servi Patris Familias Deo dicunt; viſne eamus ad hoc lolium colligendum: Sed patiens hic Deus illos expectare jubet uſque ad meſſem, ut liqueat utrum mala gramina in frugiferas plantas valeant immutari. Peccatores quiſnam ille eſt, qui vos expectat? Deus, quem læditis, Omnipotens Deus, Deus qui flatu uno vos redigere poteſt in cineres: Creatura deſerit Creatorem, & Creator requirit Creaturam. Hæc bonitas ſi bene intelligatur nonne flectere deberet duriſſima corda? Intelligi inquit, quomodo humani cordis durities euſque procedere valeat, ut tantæ huic miſericordiæ non cedat. *Idem Tomo* 1.

Cavendum ne miſericordia obutamur.

Jeſus Chriſtus eſt Agnus Dei, quia pro Dei gloria immolatur. Nec minus Agnus eſt nobis propter manſuetudinem atque patientiam. Qua bonitate noſtras ſuſtinet infirmitates? Nonne ſcelera noſtra diſſimulat? Nonne ſuffert ingratitudinem noſtram? Qua facilitate nobis dimittit injurias, quas illi fortaſſe quotidie inferimus? Sed cavendum eſt nobis ne nimis diu hac *Apoc. c. 5.* miſericordia abutamur. Agnus quidem Dei eſt, ſed ſimul eſt Leo Juda. Lenitas illius fortaſſe non multo poſt in indignationem, furoremque mutanda eſt. Ne *Rom. 1.* contemnas ergo, Sanctus Paulus ait, divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis ejus. Memento, quod Dei bonitas te ad lenitatem adducit, & quod ob hunc tantummodo finem hactenus peccata tua diſſimulavit. Si differs adhuc ſequi illecebras miſericordiæ ipſius, cave ne ſibi ſuſtinendum ſit omne pondus & miſericordiæ contemptæ, & irritatæ juſtitiæ. Ne patiaris, Salvator amabilis, me ita divitias bonitatis quæ in iræ theſaurum immutare per duritiem cordis rebellis, atque impœnitentis. Fac illud voci tuæ docilem tuiſque gratum beneficiis, ut vera pœnitentia inceſſanter tuam leniat juſtitiam. *Pater la Neuville primo Ethica Tomo.*

MODESTIA.

Compoſitus oris habitus. Immodeſtia.

MONITUM.

PRO externo oris habitu compoſito nihil præter modeſtiam intelligo: ſed cum hoc modeſtiæ nomen pluribus conveniat argumentis, de quibus jam verba fecimus, vel deinde facienda ſunt: operæ pretium eſt, re adhuc integra eos cancellos ſtatuere, intra quos præſens hoc argumentum contineatur. Hic igitur locuturi ſumus de exteriori modeſtia, quatenus ex interiori principio ad virtutem compoſito proficiſcitur; ſine quo neque eſſe poteſt ethica, neque chriſtiana virtus, ſed vel hypocriſis, vel ipſius naturæ effectus. De veſtium modeſtia, atque immodeſtia alibi recurret ſermo, ubi etiam de virtute, quæ nimiam eorum pompam, & apparatum moderatur, qui in inſigni aliquo gradu conſtituti refulgent; quæ & ipſa modeſtia appellatur. Locuti quoque ſumus de interiori modeſtia, quatenus cum humilitate confunditur, quæ ob generis, fortunæque bona minime inflatur. Reliquum igitur eſt, ut hoc in loco de exteriori agamus modeſtia, quæ in eo ſita eſt, ut geſtus, omneſque corporis motus, verba, & actiones moderetur.

Verum quidem eſt hoc argumentum, aptius apud cœnobitas, vel in cœtu eorum, qui pietatem profitentur, quam magna in populi concione pertractari, quamobrem perpaucos inveneris, qui hac de re integros ſermones ediderint: ſed cum virtus hæc aliter ſit exercenda pro ſtatu, ordine, ætate, ſexu, & conditione ſingulorum; & hæc illa ſit virtus, quæ ſtatim oculos perſtringit, & peccatorum corda poteſt attingere, hujus argumenti ſermo quibuſdam in locis, & occaſionibus poteſt plurimum, proculdubio, fidelium pietati conferre; præterquamquod cum immodeſtia oppoſitum huic virtuti vitium illis ſcandalum poſſit adferre, alterum ab altero non eſt ſejungendum, & hoc pacto argumentum licet nimis arctum videatur, non erit ita ſterile, ut illis videtur, qui illius latitudinem, & utilitatem ſatis non conſiderant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia concionum hujus argumenti Syſtemata.

I. POſtquam viam tibi ſtraveris oſtendens, in quo modeſtia, quam Apoſtolus ad Philip. 4. in Chriſtianis requirit, conſiſtat, atque pro themate hæc protuleris verba: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete; modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*: pro ſermonis argumento, atque partitione duplicem hanc aſſumere cauſam poſſumus, quæ nos ad virtutem hanc exercendam impellunt, & quæ ab ipſo Apoſtolo ſuggeruntur. 1. Neceſſitas, qua fidelis Deum glorificare tenetur, quod per ipſam modeſtiam, præter cæteras rationes, præſtare poſſumus. 2. Neceſſitas ædificandi proximum, eumque ad virtutem traducendi, quod per modeſtiam mirum in modum obtinemus.

Ratio prior, quæ nos modeſtiam ſervare jubet, eſt ut Deum glorificemus, eique honorem deferamus: *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*. 2. Corinth. 6. Cum Deus creata quælibet propter ſui nominis gloriam effinxerit; inter cætera homo huic ſatisfacere debet officio, utpote qui præ cæteris divinis cumulatus fuit beneficiis: ideoque hoc Deus expetit longe alia ratione, quam ab aliis expoſcat. 1. Quia licet ille ſpectet, ac præſertim cor hominis, interioremque cultum efflagitet, vult tamen veros fideles compoſitum oris habitum præſeferre, atque externam tueri modeſtiam, quæ nomini reſpondeat filiorum Dei, & ſervorum ſupremi hujus Domini, qui pompis, vanitatibus, omnibuſque inanibus mundi gaudiis abrenunciarunt; quod fieri nequit, niſi diligens ſervetur modeſtia in veſtibus, pompa, verbis, geſtibus, & quidquid ad exteriorem corporis ſpeciem pertinet. Et ratio conſtat; quia ejuſdem penitus ſumus; toti ad illum ſpectamus, corpus ſimul & anima, exterior æque, ac interior pars; ideoque utrumque ad illius mandata eſt componendum. Hinc fit, quod quemadmodum ſi in homine exterior dumtaxat pars eſſet ad modeſtiam compoſita, quin ex interiori moderatione procederet, quæ illius eſſe debet principium mera eſſet hypocriſis in oculis Dei exerabilis: ita immodeſtus corporis habitus, in vitæ ipſius ratione inordinatus, atque in agendi modis abnormis ſignificat animum vel ſuperbum, vel ambitioſum, vel incompoſitum, pietate vacuum, & chriſtiano, quod gerit, nomine indignum: eodem præter pacto, quo in religione, ſi interiorem tantummodo cultum quæreremus, atque illum extrinſecus teſtatum facere negligeremus, cum hoc facere teneamur locum præberemus credendi, nos a fide jam defeciſſe: ſimiliter affirmare poſſumus eum abdicaſſe chriſtianam religionem, quam in Baptiſmate profeſſus eſt, qui nullum ſervat modum in iis, quæ ad exteriora pertinent officia, & ad rationes agendi Chriſtiano homine dignas, propter nexum qui inter exteriorem, interioremque partem invenitur, propter quem alterum ex altero infertur. 2. Modeſtia non poſtrema ex iis rationibus eſt, quibus Deum glorificamus; quia hoc pacto noſmet præbemus Incarnato Verbo ſimiles, quod, ut S. Paulus ait, eſt ſplendor gloriæ, & cui in omnibus vitæ ſuæ actionibus non alia fuit mens, quam æternum Patrem ſuum glorificandi. At modeſtia exteriori habitu, agendique ratione ſimiles nos efficit huic humani generis reparatori; hæc enim illi majorem admirationem conciliabat, hæc plures aſſeclas merebatur, hæc eorum omnium, qui ad ipſum accedebant, exiſtimationem, atque confidentiam excitabat, atque ut verbo me expediam, hæc cæterarum virtutum una maxime in eo fulgebat, & ut S. Hieronymus ait, divinitatis perſonæ ipſius erat teſtimonium. In hoc autem fidelis, facilius imitari poteſt Jeſum Chriſtum, quem ſibi rebus in omnibus proponere debet veluti exemplar; reliquæ enim virtutes, humilitas, charitas, patientia non videri poſſunt niſi per modeſtiam, quæ totius mundi oculis patet. 3. Modeſtia noſtra præſtantiſſima ratio eſt glorificandi, colendique Deum; etenim quemadmodum idem S. Paulus teſtatur, nos ſumus Jeſu Chriſti membra; membra videlicet myſtici ejuſdem corporis, quæ idcirco exhibere tenentur corpus illius naturale modeſtia, quæ in ſenſuum omnium, facultatum, omniumque corporis noſtri motuum ordinata compoſitione conſiſtere debet: ita ut obtutus noſtri modeſti, verba, geſtus, mores ad Jeſu Chriſti exemplar compoſita ſint, & quilibet dicere poſſit cum S. Paulo ad Galat. 2. *Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Chriſtus*. Spiritus ejus me animat, hic eſt veluti anima corporis mei. Hoc pacto nihil in nobis erit, quod non glorificet Deus &c. Ratio altera propter quam modeſtiam ſervare tenemur, eſt proximi ædificatio, ut adſpectus externæ ſpeciei ad virtutem compoſitæ illum magis excitet, ut glorificet Deum, eique ſerviat. Ideo vult Apoſtolus, ut extrinſecus ſe prodat modeſtia noſtra, & ſit mortalibus omnibus explorata. 1. Hinc enim bonam de nobis ipſis proximi opinionem concipient, de internis animi virtutibus ex modeſta corporis compoſitione ferentes judicium; ideoque nobis habebunt fidem, atque monitis noſtris aurem, & exemplis animum adhibebunt. 2. Hæc efficaciſſima via eſt illos Deo lucrandi, ob oculos eorum exhibendo pulchritudinem virtutis, quæ quodammodo in perſona noſtra ſeſe viſibilem præbet. 3. E contra vero nihil magis illis ſcandalum afferre poteſt noſtra immodeſtia; nullum enim vitium eſt, quod ſe facilius communicet, atque contagione ſua univerſum orbem inficiat.

II. Alter efferri hic ſermo poteſt pro argumento aſſumendo tres cauſas, quæ nos ad virtutis exercitationem compellunt.

Prima eſt, propria virtutis hujus præſtantia; licet enim officium illius, quod eſt exteriorem corporis habitum componere, minus ſpectabile videatur, eſt tamen certiſſimum argumentum interioris animi optime inſtituti; oritur enim ex affectuum omnium mortificatione, & ſupponit, omnes jam acquiſitas fuiſſe virtutes, quibus decorem etiam, ac meritum tribuit. Hæc ea virtus eſt, quæ oculos hominum maxime captat, & cæteras quodammodo præbet inſpiciendas.

Altera eſt, proximi utilitas, cui bonum debemus exemplum: at nihil illum melius ædificare poteſt, Deo lucrari, eique virtutis, ac pietatis amorem immittere, quam modeſtia.

Tertia eſt propria utilitas noſtra. Nos & Deo, & hominibus charos efficit: Deo quidem, qui omnia operatur in pondere, & menſura; qui omnia ſuprema ſapientia gubernat, & qui decorem rebus in omnibus ſervat: ad hæc nos perfecte ſimiles efficit Salvatori Mundi, qui prototypus eſt, ad quem omnes homines ſeſe componere debent, & in quo nihil admirabilius enituit, quam modeſtia. Hominibus etiam nos jucundos facit, qui reverentur, & colunt eos, in quibus hæc virtus elucet.

III. Quam neceſſaria modeſtia ſit, ut chriſtiana vita ducatur.

1. Prohibet, ne malum fiat, eo quod in omnibus actionibus externam decoris ſpeciem ſervari jubet, ne aliquid fiat, propter quod male audire poſſimus. Omnes peccati occaſiones amovet, propter jugem eam vigilantiam, qua omnes ſenſus noſtros tueri nos vult, & propter circumſpectionem, quam in omnibus actionibus noſtris requirit, ne quid incompoſitum videatur. Cuſtos eſt puritatis cordis, & corporis prohibens ne quid alterutrum eorum polluat, decorum rebus in omnibus, omnibuſque in occaſionibus ſervans, & efficiens, ut externa ſpecies ſit vera virtutis interioris imago.

2. Alterum Chriſtianæ vitæ officium eſt virtutem colere; quod præſtat modeſtia eo pacto, quod ipſi proprium eſt, & peculiare. Hæc jugis eſt virtutis doctrina, muta quidem prædicatio, ſed potens, & efficax, quæ bonum ſuadet, illud dumtaxat præſeferens. Hæc tacita eſt flagitioſorum hominum correptio, quin aliquid eorum imminuat reverentiæ, & quin illi ſe laceſſitos arbitrari queant, eos pudore ſuffundit. Cum autem arctiſſimum habeat cum virtutibus omnibus vinculum, eas omnes quodammodo exercet, qui omnibus in actionibus modeſtiam colit, ita ut interior, exteriorque pars hominis ſint perfecte ad virtutem compoſitæ, atque eo in ſtatu, in quo eſſe debent.

IV. Quemadmodum priſcis Eccleſiæ temporibus modeſtia nota erat, ac veluti character, quo fideles ab Ethnicis, Idolorumque cultoribus diſtinguebantur, hæc eadem modeſtia hodierna die perfecti Chriſti fidelis eſt nota.

1. Quia ſimul eſt & effectus, & cauſa ſanctitatis, quæ Chriſtianæ religionis perfectionem conſtituit; videlicet certiſſimum acquiſitæ virtutis indicium; & efficaciſſimum ejuſdem acquirendæ ſubſidium. 2. Quia nihil validius eſt, ut aliis ſuadeatur; hoc eſt ut aliorum prohibeantur flagitia, ac illi ad Dei ſervitutem pertrahantur.

V. 1. Æſtimatio, quæ de hac virtute habenda eſt, ex qua ea omnis pendet æſtimatio, quam de nobis Deus, & homines habent; quod enim ad Deum pertinet, poteſtne peculiari exiſtimatione complecti illum, qui per exteriorem modeſtiam publice profitetur, ſe ipſius eſſe, ſibi gloriæ vertere, quod illi inſerviat, qui hujus ſervitutis notas corpori ſuo, quodammodo gerit inuſtas, quemadmodum Apoſtolus 1. Cor. 6. loquitur: *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*. Nonne benigno intuetur oculo illum, qui ſemper coram ſe inceuit, & omnia operatur, ut illi placeat, atque tantum timet, ne illum offendat, ut ne minimum quidam inordinatum geſtum efficiat? Quod pertinet ad hominum exiſtimationem, hoc ſatis liquet, non enim de meritis, virtutibuſque noſtris judicant niſi ex habitu corporis exteriori; cumque ſecreto virtutem habeant in pretio, facere nequeunt quo minus in pretio habeant eos, in quibus per modeſtiam externam ſatis elucet.

2. Fructus qui inde percipitur, tantus eſt, ut qui illum neglexerit, vel pravi momenti duxerit, præcipuam ſuam parvipendat utilitatem. Modeſtia enim nos jubet vita frugi, atque compoſito oris habitu bonam fovere opinionem, quæ de nobis percrebuit. Efficit, ut ea evitemus flagitia, quæ ex ſenſuum licentia procedunt. Cohibet flagitioſorum hominum impudentiam, eoſque cogit ut intra obſequii, & officii fines ſeſe coram nobis contineant. Hæc viam nobis præbet Deum glorificandi, atque mortales omnes ad illius ſervitutem pertrahendi.

VI. 1. Neceſſitas modeſtiæ exercendæ, ut tamquam veri Chriſtiani vivamus.

2. Quomodo exercenda ſit, quo præſertim tempore, loco, occaſionibus.

3. Viæ illius acquirendæ, atque ſervandæ juxta cujuslibet ſtatum, & conditionem.

VII. 1. Modeſtia virtus eſt omnis hominum conditionis, ætatis, ſexus propria, eſtque ſtatus ſingulorum non ſecus ac perſonarum ornamentum.

2. Hæc ratio eſt, qua civitates, familiæ, communitates in recto ordine continentur, ac prohibetur, ne illuc morum labes obrepat.

3. Inde judicium de ſingulorum merito, & virtute fieri conſuevit.

De immodeſtia cujuſcumque generis.

VIII. 1. Immodeſtia ex vitiis omnibus unum magis honeſtos homines, & probos lædit, quia æque & contra decorum, & contra bonos mores eſt.

2. Vitium eſt, quod præ ceteris majus ſcandalum adfert, quia ſeſe facilius communicat, & exemplum habet magis periculoſum.

3. Ab hoc vitio nobis minus cavemus; putamus quippe leve eſſe, & nullius momenti.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

SS. Patres. SAnctus Ambroſius, *lib. 1. c. 18. Offic.* eximia tradit modeſtiæ præcepta, præſertim vero adoleſcentibus.

S. Hieronymus de hac re ſermonem habet Epiſtola 45.

S. Gregorius Nazianzenus *Orat. de moderat. in diſputat. ſervanda*, modeſtiæ regulas hujuſmodi in occaſionibus ſervandas præſcribit.

Idem *contra Julianum* deſcribit immodeſtiam, quæ in hoc Principe deprehendit, cum puer adhuc ſtuderet Athenis, & quid jam inde ominatus fuerit.

Idem *orat. de infantibus mature abreptis* de hac virtute loquitur.

S. Baſilius *Epiſt. ad Canon.* docet quam rara ſit hæc virtus, & quomodo ſervanda ſit.

Idem *in ſerm. de Aſcenſ.*

Idem *in regul. fuſius diſput.* docet, in quo conſiſtat modeſtia eorum, qui pietatem profitentur.

Idem *Epiſt. 1. ad Greg. Theolog.* docet quænam in inceſſu, geſtu, totoque habitu corporis gravitas illum deceat.

S. Proſper *l. 3. c. 19. de vita contempl.* docet, in quo potiſſimum ſervanda ſit modeſtia.

S. Chryſoſtomus in tractatu, qui inſcribitur; *quod fœminæ viris cohabitare non debent*, amplam habet modeſtæ Virginis deſcriptionem.

S. Bernardus in vita S. Malachiæ fuſius loquitur de admirabili viri hujus modeſtia, eumque virtutis hujus exemplar proponit.

Idem *Epiſt.* 113. hanc ipſam virtutem peculiariter commendat.

Idem *De ordine vitæ, & morum conſtit.* eximias tradit modeſtiæ regulas.

S. Iſidorus Peluſiota l. 2. Epiſt. 1. docet modeſtiam validam eſſe adhortationem virtutis intuentibus illam.

S. Laurentius Juſtinianus *de Diſcipl. monaſt.* docet fidelium modeſtiam imitari debere eam, quæ coram terræ Principibus ſervatur.

Sanctus Anſelmus *in med. c. 5.* oſtendit, membra noſtra cum ſint membra Jeſu Chriſti, a nobis ita eſſe componenda, ut illum minime dedeceant.

Sanctus Thomas in libris, quod edidit de Principum educatione, quintum inſumit de modeſtia, & iis, quæ ad exteriorem oris habitum pertinent, verba faciens.

S. Vincentius Ferrerius *De vita ſpirit. c. 5.* docet iis, qui vere Deo ſervire volunt, omnes guſtus, & actiones ad virtutem eſſe componendas.

Granatenſis in Duce peccatorum c. 15. §. 1. Aſcetici, aliique.

Alphonſus Rodriguez parte ſecunda Tractatu ſecundo.

P. *Saint jure* lib. 3. de Cognitione, & amore Jeſu Chriſti ſect. 38.

Nicolaus Lancicius *Opuſc.* 2.

Julius Tatius *de mortif. c.* 20.

Bernardinus Roſſignolus *l. 5. de diſcipl. c.* 38.

Joannes Pelecius *lib. 3. de offic. Relig. cap.* 16. *& a cap. 20. ad* 34. quidquid ad hoc argumentum ſpectat, fuſe pertractat.

P. Haineuve in praxi ordinis vitæ, & morum, ſermone 38 prolixius hac de re verba facit.

P. Suffren, tomo 1. Anni Chriſtiani peculiarem habet tractatum de modeſtia.

P. Le Moine integrum edidit librum, ubi de omnibus virtutis hujus ſpeciebus, omnibuſque rebus loquitur, ubi poteſt exerceri.

Jacobus Alvares lib. 3. parte 2. cap. 9. §. 14.

Dandinus *in Ethicis Sacris lib.* 31.

P. Gaudier *lib. de natura, & ſtatibus perfectionis cap.* 18.

Leonardus Leſſius *de Juſtitia, & jure lib. 4. cap.* 4.

P. Theophilus Renaud. *lib. de virtutibus, & vitiis*, lib. 6. cap. 12.

Liber, cui titulus; Vita Virginalis c. 20.

Gobinet parte 4. de Adoleſcentiæ inſtitutione.

Plures etiam prophani auctores de modeſtia locuti ſunt, & admodum utiles regulas tradidere, puta Seneca, Plutarchus, Theophraſtus, Cicero &c.

Pauci Concionatores de hoc argumento locuti ſunt, & vix unum, & alterum reperi, qui de induſtria hujus argumenti ſermonem ediderint. Recentes Concionatores.

Pean Tomo 2. Spiritualium ſermonum, ſermone undecimo.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, in argumentis particularibus tomo quarto.

Granatenſis in locis communibus. Titulo *Modeſtia*. Qui collectanea ediderunt.

Buſæus in Panario titulo *Immodeſtia*.

Drexellius in Roſis.

Geraldus. Tomo 1. de virtutibus: titulo *Modeſtia*.

Lohner, Biblioth. Manual. titulo *Modeſtia*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

HOmo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia ſeminat. Proverb. 6.

Vidiſti hominem velocem ad loquendum; ſtultitia magis ſperanda eſt, quam illius correctio. Proverb. 39.

Finis modeſtiæ timor Domini, divitiæ & gloria & vita. Proverb. 22.

In facie prudenti lucet ſapientia. Proverb. 17.

Sapientia homini lucet in vultu ejus. Eccli. 8.

Cor hominis immutat faciem illius, ſive in bona, ſive in mala. Eccli. 13.

Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Eccli. 19.

Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo. Ibidem.

Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam; vir autem ſapiens vix tacite ridebit. Eccli. 21.

Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem earum, & crinem earum nudabit. Iſaiæ 3.

Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Matth. 5.

Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. 1. Corinth. 6.

Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant. 1. ad Corinth. 14.

Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. 1. ad Corinth. 4.

Roga-

Rogamus vos, fratres, ut quieti ſitis, & honeſte ambuletis ad eos, qui foris ſunt. 1. ad Theſſalon. 4.

Induite vos ſicut electi Dei, humilitatem, modeſtiam, patientiam. Ad Coloſſ. 3.

Obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti, 2. ad Corinth. 10.

Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete: modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Ad Philipp. 4.

Quæ deſurſum eſt ſapientia, pacifica eſt, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens. Jacobi 3.

Cum modeſtia & timore, conſcientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur veſtram bonam in Chriſto converſationem. 1. Petri c. 3.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deſumpta.

Modeſtia S. Job in oculorum cuſtodia.

QUid innuebat Sanctus Job, cum ſuam probaturus innocentiam adverſus eos, qui arbitrari non poterant ipſum ſcelere aliquo obſtrictum non eſſe, quandoquidem illum tot malis affectum intuebantur, palam profitebatur, omnes obtutus ſuos modeſtos fuiſſe, ac ſe pactum cum oculis ſuis percuſſiſſe, ne aciem in aliquod objectum converterent, quod cor illius poſſet polluere? nonne videtur potius pactum hoc cum ipſo corde percutiendum eſſe, quod immediata eſt omnium imputarum, ac nocentium cogitationum origo, ut ipſe docet Jeſus Chriſtus in Evangelio. Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ.* At Sanctus Gregorius affirmat nos a ſancto hoc viro edoceri, cuſtodiam oculorum, in qua modeſtia potiſſimum exercenda eſt, omnino eſſe neceſſariam ad cordis integritatem tuendam; oculi enim corrumpunt affectiones noſtras, atque ad periculoſorum objectorum intuitum turpes cient paſſiones, ita ut ad animæ motus regendos, initium ducendum ſit a ſenſuum exteriorum regimine; oculorum vero præſertim, qui primi omnium cor ipſum corrumpunt. Itaque hoc primum eſt modeſtiæ officium, hoc præcipuum illius munus, & hoc primum documentum, quod Sancti tradere conſueverint, utpote quod maxime neceſſarium eſt, atque utiliſſimum.

Sancti Patriarchæ Joſeph modeſtia.

Si Scriptura nihil peculiariter memorat de Joſephi Patriarchæ modeſtia, hoc inde factum eſt, Sanctus Ambroſius inquit, quod omnes vitæ illius actiones, verba omnia, & quidquid in eo videbatur, juge erat virtutis hujus documentum. Hæc illi a puero parentis optimi conciliavit benevolentiam. Hæc in illum fratrum convertit odia; tanto enim horrore deteſtatus eſt peſſimum crimen, quod illos patrare conſpexerat, ut patrem de eodem a ſe admonendum cenſuerit. Et ratio, qua in domo Putipharis ſe geſſit, ſatis probat, quantopere hæc virtus illi cordi eſſet: ſed modeſtia hæc, cui comes acceſſerat prudentia ſingularis, Pharaonis cor ita captivavit, ut in eo penitus confideret, omneſque regni ſui curas illi demandaret.

Modeſtia Judith.

Judith, cujus inſignis modeſtia fuit, qua viduitatis ſuæ tempore vixit, virtutis hujus regulas, legeſque nequaquam perfregit, lætitiæ veſtibus ſe ſe ornans, omnemque muliebrem adhibens mundum, qui naturalem oris ſpeciem magis commendare poſſet, eique recentem decorem afferre. Etenim ejus conſilium, & mens, quam eidem immiſerat Dominus, hæc omnia probabat, quæ immodeſtiæ nomine, ac vanitatis eo in ſexu familiariſſimæ redarguenda fuiſſent, niſi adfuiſſet intentionis hujus æquitas, quæ ex ſcripturarum teſtimonio omne attulit condimentum, quod neceſſarium erat, inceſſui, formæ, geſtibus, atque ornamentorum nitori, ut in ſe totius exercitus Holofernis oculos, & admirationem converteret, & ut inſignem victoriam reportaret, qua imperatoris capite obtruncato infidelem delevit exercitum.

Immodeſtia Dinæ filiæ Jacob.

Omnibus audita ſæculis hæc fuit querela, adoleſcentulas ejus ſexus, cujus pulcherrimum ornamentum modeſtia eſt, æque eſſe liberas, procaces, emancipatas, curioſas, atque ut omnia uno verbo complectar, parum adeo modeſtas, ut idem periculum ſubeant, vel ſaltem ſeſe eidem objiciant diſcrimini, ac immodeſta Dina Sancti Patriarchæ Jacob filia, quæ quindecim annos nata, cum ſola, ſine comite, ac facultate paterna domo eſſet egreſſa, acta curioſitate videndi choreas, & feſtos dies filiarum Sichem, atque viciſſim ut videretur, omnia eidem male ceſſerunt. Ipſa enim illico vi facta rapta fuit, & propter illam populus integer fuit internecione deletus. Hiſtoria hæc adeo luctuoſa; & funeſta deberet profecto virgunculas in officio magis continere, eaſque docere ut magis eſſent modeſtæ, verecundæ, circumſpectæ, neque hanc, quam ſolent, oris habitu licentiam præſeferrent, neque aſſueſcerent hilaritati, atque procacitati, quæ ex diametro adverſatur modeſtiæ, quæ una maxime eorum ſexum, ætatemque decet.

Immodeſtia filiarum Sion, de qua Iſaias Propheta loquitur.

Iſaias Propheta contra filiarum Sion immodeſtiam declamans, deſcribere videtur pleraſque temporis hujus virgines, atque mulieres. Videntur, ait ille, per compita incedere magnificis ornatæ veſtibus, erecto capite, ſuperbo gradu, oculos circumferentes, caudatas trahentes tunicas, geſtu, & oris habitu prorſus immodeſto; & quod magis adhuc modeſtiæ oppoſitum eſt, ea nuditate, quæ ad ſcandalum uſque procedit. Audite, Propheta ait, quid cogitet Deus de hiſce mulieribus verecundia, & modeſtia carentibus, & quomodo illas excipiet aliquando. Poſtquam ejus juſtitia tota hac exteriori magnificentia illas exuerit, omnemque abſtulerit hanc vanitatis pompam, capilli quidem fictitii mittentur in ignem, proprii vero radicitus evellentur. Uniones, muliebris mundus, ornamenta, quæ earum ſuperbiam, atque immodeſtiam adaugent, auferentur illis, & pro his odoribus, & unguentis, terribilis circum eas fætor erit. Hoc pacto Propheta nobis exhibet immodeſtas adoleſcentulas, atque mulieres, quæ præ timore, ac terrore contremiſcere deberent, judicium adeo ſeverum, ac formidabile expectantes.

De Salvatoris noſtri modeſtia.

Cum fideles perfecti eſſe debent Jeſu Chriſti imitatores, omnes contendere debent nervos, ut eidem rebus in omnibus ſimiles fiant. At ſi ullam virtutem conſtanter, omnibuſque in occaſionibus Jeſus Chriſtus exercuit, hæc ſane modeſtia fuit, qua illi omnes, quibus ad eum accedendi beata contigerat ſors, alliciebantur; ita ut S. Paulus Corinthi fideles per Jeſu Chriſti modeſtiam, cujus recens adhuc erat memoria, obteſtaretur. Hoc profecto jucundiſſimum erat ſpeculum videre illud duodecim annos natum cum legis Doctoribus diſputantem, interrogantem illos, atque incomparabili modeſtia illis reſpondentem. Qui ſermonibus ejus aderant, dum concionem haberet ad populum, non tantum eam admirabantur venuſtatem, qua loquebatur, quam ipſas cœleſtes veritates, quas annuntiabat. Qui illius colloquio frui poterant, nonne inde recedebant illius modeſtia, ac ſuavitate illecti? Et quodcumque ille faceret, ſeu conviviis invitatus accumberet, ſeu aliquem inviſeret, ſeu afflictis afferret ſolatium, ſeu peccatores ad pœnitentiam revocaret, ſeu curaret infirmos, ſeu miraculum aliquod operaretur, in tanta actionum varietate ſemper divina, ſemperque admirabilis illius erat miſericordia.

Modeſtia Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ.

Virtus hæc præ cæteris glorioſa Dei genitricem commendavit; ita de illa S. Ambroſius loquitur capite 18. libri primi de Officiis. Sola erat in cubiculo, cum fuit ab Angelo ſalutata: viſitationis hujus novitas eam perturbavit; pudor, & modeſtia illius excanduit, ubi vidit imaginem viri, & aliquantiſper hæſit, & obmutuit: licet enim profundæ humilitatis eſſet, Angelum non ſalutavit, neque cum illo locuta eſt, antequam intelligeret ſe a Deo electam fuiſſe in matrem illius, qui univerſum humanum genus erat reparaturus. Ut hoc myſterium cognoſceret, cum reverentia ſuas propoſuit dubitationes, & pari modeſtia ſeſe divinæ voluntati ſubjeci. Doctor idem in c. 1. Luc. illam tamquam abſolutiſſimum modeſtiæ exemplar Virginibus omnibus proponit. Diſcite, ait, ex moribus, & modeſtia, quæ in illius perſona, totaque vitæ ratione refulſit, quomodo voſmet gerere debeatis. Diſcite quoque ex illius pudore, virginum eſſe ad omnem virorum contremiſcere adſpectum. Contendant igitur mulieres omnes, ſeſe ad modeſtiæ, & verecundiæ illius exempla conformare: Illa ſola erat in cubiculo; Angelus eam in ſolitudine invenit; nulla erat ſocia, vel teſtis, orationi vacabat, & ſi locuta eſt, cum Angelo tantum eſt locuta.

Exemplum Apoſtolorum, & Diſcipulorum Salvatoris.

Apoſtoli, & Diſcipuli Salvatoris, qui incarnatum viderant Verbum, qui cum eo conſueverant, & qui teſtes fuerant modeſtiæ, quæ omnia illius verba, factaque comitabatur, ſe ad divinum hoc exemplar compoſuerunt, primoſque fideles docuerunt, ut eodem pacto ſeſe gererent proximum ædificaturi. Hinc Tertullianus ducentis poſt illud tempus annis dixit, fidelem inter centum Idolorum cultores agnoſci conſueviſſe ex quibuſdam indiciis, quæ fallere numquam poterant, & Minutius Felix ipſo Tertulliano vetuſtior, in Octav. credidit ſe debere Ethnicis hunc errorem auferre, qui arbitrabantur ſigna hæc, & indicia corporibus fidelium eſſe inuſta, atque aſſerere, ideo agnitos fuiſſe, quia in ore eorum, geſtibus, totoque habitu corporis ſerio, & ad gravitatem compoſito modeſtia elucebat. *Non notaculo corporis, ait ille, ſed innocentia, & modeſtia ſigno Chriſtiani dignoſcimur.*

S. Paulus virtutem hanc exercebat, eamque etiam, atque [illegible] commendabat.

Non ſatis fuit Sancto Paulo ſæpe virtutem hanc commendare, illam etiam in omnibus actionibus ſuis præſeferre ſtudebat, licet ferventi eſſet ingenio, ideoque, intra accuratæ modeſtiæ cancellos difficilius ſe contineret. Quod non prohibet, quo minus de ſe ipſo loquens dicat, Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus; videlicet ſe loqui, agere, converſari, perinde ac ipſe eſſet Jeſus Chriſtus, & divinus hic Salvator eſſet omnium actionum, omniumque motuum non animæ ſolum, verum etiam corporis ejuſdem principium. Hoc ipſum iis ſuadebat, qui ab ipſo erudiebantur. *Induite vos ſicut electi Dei, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam;* ad Coloſ. 3. In Dei nomine, ajebat ille, ita vivite, ut ſinguli pro Jeſu Chriſto haberi poſſitis, moribus ejuſdem ſimillimos habentes mores, & ut per ſanctum vivendi genus reviviſcat in vobis, ſpiritus ejus animet veſtrum, ſed modeſtia illius in corpore veſtro refulgeat: induimini illi tamquam pretioſiſſimo ornatu, quo decorari poſſitis. Ex ore veſtro non alia prodeant verba, quam Jeſu Chriſti: nihil faciatis, quod ille non fecerit; præſertim vero modeſtia veſtra teſtimonium perhibeat, quod illius eſtis diſcipuli, & ex ejuſdem ſcola eſtis egreſſi.

Applicationes quorundam Scripturæ locorum huic Argumento.

Cur præcipiat Apoſtolus, ut J. C. induamur.

I*Nduimini Dominum Jeſum Chriſtum.* Ad Rom. 13. Hæc Apoſtoli verba, quibus Jeſum Chriſtum jubemur induere, modeſtiam magis, quam virtutes cæteras a nobis ſervandam ſignificant; etenim ex omnibus Jeſu Chriſti virtutibus modeſtia una omnium maxime oculis mortalium patebat, quibus addendum, modeſtiam in omnibus Jeſu Chriſti actionibus, motibus, geſtibuſque enituiſſe. Micabat illa in ejus facie, & in oculis; nihilque in eo erat, ubi non eniteſceret, & jure dicere poſſumus, ipſum totum fuiſſe juſtitiam. Hoc fortaſſe ob oculus S. Pauli verſabatur, ideoque figura hac ſe uti poſſe credidit ſubjectum pro forma, ac virtute præditum pro ipſa virtute deſumens: ita ut nos hortaturus, ut induamur modeſtiam, ſe majori cum emphaſi hoc dicturum putaverint, ſi etiam atque etiam commendaret, ut Jeſum Chriſtum, qui modeſtiæ prototypus rebus in omnibus fuit, indueremur.

Quomodo glorificemus Deum per modeſtiam, & quid ſit in corpore noſtro portare Deum, ut Apoſtolus jubet.

Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. 1. ad Corinth. 6. Hæc quoque Apoſtoli eſt locutio: portare, & efficere, ut Deum omnes agnoſcant, eique deſerviant, quod glorificare Deum appellatur. Hoc autem efficaci, ac prorſus peculiari fit modo per modeſtiam: ita alios ad Dei cultum attrahimus; ita acquirimus auctoritatem, confidentiam nobis conciliamus, ac tandem illos ad virtutem, & ſanctitatem impellimus; quod Apoſtolus vocat portare Deum in corpore ſuo, videlicet modeſto oris habitu, qui virtutem, ac ſanctitatem inſpiret. Cum enim hæc virtus ſtatim oculis objiciatur; ita efficit, ut melius agnoſcatur, ac ſublimiorem tradit virtutis ideam; atque majorem ad perſuadendum vim habet, quam cæteræ. Ita exclamat Apoſtolus; glorificate Deum, & facite, ut omnibus in locis agnoſcatur, ubi eritis, utque id tuto faciatis; illum quodammodo per modeſtiam in corpore veſtro portare debetis. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

Quomodo gaudium, quod nobis ſuadet Apoſtolus cum modeſtia concordet.

Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete; modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Ad Philipp. 4. Aliqua ineſſe videtur oppoſitio, vel ſaltem myſterium aliquod in hoc Apoſtoli conſilio ſuadentis, ut modeſtiam ſervemus tunc maxime, cum nos ad gaudendum invitat. Subiti enim, atque inconſiderati lætitiæ motus nos ſæpe rapiunt; & illi ipſi qui magis verecundi ſunt, labuntur, ac vix, & ne vix quidem intra decori terminos ſeſe continent. At enim, dicet aliquis, nonne ſignificare vult, cum virtutes reliquæ ſuum habent tempus, locumque ſuum, modeſtiam ita eſſe temporum, locorumque omnium, ut inter ipſa etiam eluceſcere debeat gaudia, quæ eidem eſſe videntur oppoſita? An potius innuit inter lætitiam, quæ a Deo eſt, & eam, quam in mundi hujus rebus inquirimus, hoc diſcriminis intereſſe, quod prior illa ſuavis eſt, modeſta, & tranquilla, poſterior vero ſeſe effundit extrinſecus, atque ſine modo, ac verecundia impudenter ſe prodit? Eſto ſi lubet: Ego cum Sancto Chryſoſtomo cenſeo hanc fuiſſe mentem Apoſtoli nobis videlicet exteriorem, ac viſibilem tribuendi notam, ex qua verus fidelis poſſet agnoſci, notam vero hanc eſſe modeſtiam, quæ oritur ex interiori gaudio, animi tranquillitate, affectuum malacia, & pace conſcientiæ, gaudio, pace, tranquillitate, quæ per oris ſerenitatem, geſtuum omnium moderationem, ſenſuum verecundiam, totiuſque exterioris hominis compoſitionem in ipſum corpus effunditur.

Finis modeſtiæ, Sapiens inquit, eſt timor Dei.

Finis modeſtiæ timor Domini. Prov. 22. Ipſe Spiritus Sanctus aſſerit, finem, & ſcopum modeſtiæ eſſe debere timorem Dei; re enim vera ſemper modum ſervare debemus propter divinæ majeſtatis reverentiam, coram qua vivimus, movemur, & ſumus, ita ut ne minimum quidem motum edere valeamus, cujus Deus teſtis non ſit; cumque oblectetur ille nos ſanctos, perfectoſque videns, defectus, nævique ſeu interiores illi ſint, ſeu exteriores magis illi diſplicent, quam Pictori maculæ, quas videt offuſas tabulæ omni cura, ac induſtria ab ipſo elaboratæ. Præterquamquod ſi Principis, vel gravis alicujus viri conſpectus nobis reverentiam injicit, & diligentiſſime cavemus ne aliquid nobis excidat indecorum, quo ſe læſum putare queat; quam modeſtiam ſervare nos decet coram terribili hac majeſtate, quæ nullibi non invenitur?

Cur jubet Apoſtolus modeſtiam noſtram eſſe omnibus hominibus notam.

Sic luceat lux veſtra coram hominibus. Matth. 5. *Et modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* De modeſtia prorſus oppoſitum dicendum eſt, ac de reliquis virtutibus, quas jubet Evangelium abſcondi, ut Deo uni exploratæ ſint, atque compertæ; vel quas ſaltem extrinſecus proferri vetat, ne aliqua ſubeat vanitas, & oſtentatio, quæ earum meritum corrumpat; ſed S. Paulus imperat, ut modeſtiam omnibus, ſi fieri poſſit, mortalibus notam faciamus. Undenam, amabo vos, hoc accidit diſcrimen? Hinc profecto, ut Sancti Patres putant, quia nihil hac virtute potentius eſt ad alios ad Dei ſervitutem pertrahendos, eorumrumque animis virtutis amorem injiciendum. *Glorificent Patrem veſtrum.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum ad hoc pertinentes Argumentum.

I*N omnibus moribus noſtris nihil fiat quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod doceat ſanctitatem.* Aug. in reg.

Sicut molliculum, & infractum aut vocis ſonum, aut geſtum corporis non probo, ita neque agreſtem, neque ruſticum imitemur; effigies enim forma diſciplinæ, forma honeſtatis eſt. Ambroſius, lib. 1. c. 18.

Motum natura informet, ſi quid in natura vitii eſt, induſtria emendat. Idem, Ibidem.

In modeſtia maxime tranquillitas animi, ſtudium manſuetudinis, moderationis, gratiæ, honeſtatis cura ſpectatur & quæritur. Idem, ibid.

Studium deſit atque affectatio, ſed motus ſit tibi purus ac ſimplex. Idem, ibid.

Forma honeſtatis, & ornatus ad omnem actionem accommodatus. Idem, ibid.

Ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum ſermo reſonet tuus; ſpeculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Idem, ibid. c. 19.

Pulchra eſt virtus verecundia, & ſuavis gratia, quæ non ſolum in factis, ſed etiam in ipſis ſpectatur ſermonibus. Idem, ibid.

Ipſum vocis ſonum libret modeſtia, ne cujuſquam offendat aurem. Ibidem.

Verecundia cum ſit omnibus ætatibus, perſonis, temporibus, & locis apta, tamen adoleſcentes juveneſque maxime decet. Ibidem.

Non ſit affectatus decor corporis ſed naturalis ſimplex, neglectus magis, quam exquiſitus. Ibid.

Speculum mentis facies, & taciti oculi fatentur arcana Hieron. Ep. ad Tur.

Quorum habitus, vultus, inceſſus, doctrina virtutum eſt. Idem, Ep. ad Ruſtic.

Ad cuſtodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque ſenſuum diſciplina ſervanda eſt. Greg. l. 2. Moral. c. 1.

Intus eſt cuſtodia quæ ſervat exterius membra, qui ergo ſtatum mentis perdidit, foris in inconſtantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice ſubſiſtat. Gregor. in Paſtor. c. 24.

Studeamus modeſtiæ: nam ſtudiis & exercitiis aſſimilatur anima, & qualia facit, talis formatur & figuratur. Baſil. ſerm. de humilit.

Ubi Chriſtus, modeſtia quoque eſt. Gregor. Nazianz. Epiſt. 193.

Habitus mentis in corporis motu cernitur; animi vox eſt corporis motus. Ambroſius, lib. 1. Offic. cap. 18.

Bona domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci. Idem, ibidem.

Vitia ex occurſu meo ſuffundo. Tertullian. de pallio.

Præcones quidam animi, compoſiti motus corporis. Greg. Nazianz. Ep. 131.

Sanctorum non tantum verba, ſed etiam ipſi vultus ſpirituali gratia pleni ſunt. Chyſoſt. Homil. 3. ad popul.

Exterioris hominis motu interioris ſtatus agnoſcitur. Caſſianus, lib. 12. Inſtit. c. 29.

Hilari omnes capiuntur vultu, triſtem & truculentum refugiunt. Climac. Grad. 29.

Hæc eſt modeſtia & grata compoſitio, primum non circumferre huc & illuc oculos, ſed quæ ante te ſunt, intueri, neque vana & otioſa loqui, ſed tantum neceſſaria. Dorotheus, Serm. 24.

Riſus eſt vox confuſa lætitiæ, inſultationem immoderata hilaritate denuntians. Caſſiodorus in Pſalmos.

Nebuloſa corporis compoſitio, & facies tenebris obſcurata triſtitiæ, devotionem ab animo receſſiſſe ſignificant. Bernard. Serm. de virt. obedient.

Quam pulchra, quam ſplendida gemma eſt verecundia, in vita & vultu adoleſcentis, quam vera & minime dubia bonæ ſpei nuntia, bonæ indolis index! Idem, Serm. 86. in Cant.

Modeſtia virtutis amantes decet, & reliquas animi dotes exornat & illuſtrat. Iſidorus Peluſiota.

Viri ſumma virtute præditi, etiamſi nullum verbum emittunt, ſilentio tamen quavis voce clariore diſcipulos ſuos erudiunt. Idem, lib. 1. Epiſt. 1.

Sit in geſtu tuo gravitas, in motu ſimplicitas, in inceſſu honeſtas. Idem, lib. 2. Soliloq.

Temperanda eſt etiam facies, & modificanda in geſtu ſuo, ut nec proterve exaſperetur, nec molliter diſſolvatur, ſed ſemper habeat, & rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem. Hugo Vict. lib. de diſcipl. monaſt.

Non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno, Chriſtiani dignoſcimur. Minutius Felix, in Octavio.

Converſemur quaſi Dei templa, & Deum in nobis conſtet habitare. Cyprian. de Orat. Domin.

Pleriſque, juſti aſpectus, admonitio correctionis eſt. Ambroſ. in Pſ. 118.

Teneamus eam, quæ totius vitæ ornatum attollit, modeſtiam. Idem lib. 1. Offic. c. 45.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum pertinens depromi poſſit.

Definitio modeſtiæ.

MOdeſtia eo in ſenſu, quo iſthic accipimus, virtus eſt temperantiæ ſubjecta, cujus etiam partem conſtituit: ejus officium eſt exteriorem hominis partem regere: videlicet moderari exceſſus, & corrigere defectus, qui in geſtibus, motibus, totoque oris, & corporis habitu occurrunt; ita ut tota externa ſpecies ſit ita compoſita, ut nihil adſit, quod cujuſquam oculos laceſſere valeat, & quidquid extrinſecus patet, ſtatum, ac profeſſionem noſtram maxime deceat. Hanc virtutis hujus notionem adſtruunt Theologi, præſertim vero omnes aſceticæ vitæ magiſtri.

Modeſtia eſt virtus.

Vulgatum axioma eſt, ubicumque regulæ, menſuræque ſervandæ ſint, neceſſarium eſſe, ut quædam ſit virtus, quæ dirigat, extrema ad mediocritatem redigat, abſcindat, quidquid ſuperfluum eſt, & quidquid breve, producat; quæ ſingulis formis juſtam extenſionem tribuat, atque eam proportionem, quæ ſubjecto optime congruat. At fatentur omnes, geſtum, vocem, oris habitum, actionem, corporis ornatum ex earum rerum eſſe numero, ubi non deſunt extrema vitanda, & mediocritas eligenda, nec non modus ſervandus: oportet ergo virtutem eſſe, quæ hæc omnia dirigat, hoc eſt, cujus materies ſit poſitura, inceſſus, vocis tonus, oculorum conjectus, & corporis motus, & formam, quam illa addit, eſſe ordinem, ac decorum, ut requirunt circumſtantiæ perſonæ, rerum, loci, temporis, aliæque, ubi invenitur. Hinc ſequitur 1. Varias eſſe illius regulas pro varietate ſtatuum, ætatum, conditionum, & profeſſionis ſingulorum: 2. ubicumque modeſtia non adeſt, adeſſe poſſe artem, & diſciplinam; nec non elegantiam, & ſcientiam; ſed hanc artem fore luxus, & diſciplinam prodigalitatis. Nihil ibi niſi exceſſus erit, & non ſolum nulla erit virtus; verum etiam nullum decorum erit, nihilque ſapientiam redolebit.

Modeſtia eſſe poteſt virtus Chriſtiana.

Modeſtia conſiderari poteſt vel tamquam virtus mere moralis, cui non alius ſit finis, neque exercitatio alia, quam exteriorem corporis habitum regere, & nihil contra decorum efficere; vel tamquam virtus, quæ ſimul Chriſtiana etiam eſt, cujus finis eſt gloria Dei, qui hoc pacto honoratur, ædificatio proximi, & noſtra ſanctificatio. Hoc autem in ſenſu illam conſideramus, & Chriſtianus quilibet eam debet exercere; & ad hanc referemus quidquid de virtute hac erit dicendum, quæ plurimis quidem levis momenti videtur; ſed quæ numquam ſatis æſtimari poteſt, quippe quæ cæteris quibuſcumque recentem addit nitorem, & efficit, ut omnes actiones noſtræ & Deo, & hominibus accidant perjucundæ.

Exterior modeſtia ex interiori proficiſcitur a qua ſeparari non poteſt.

Licet de exteriori tantum modeſtia hic nobis ſit ſermo, ſupponendum eſt tamen, illam ab interiori numquam ſeparandam eſſe, ſine qua virtus eſſe non poteſt, ſed mera hypocryſis, humanus reſpectus; ſervilis timor, vel ſecretorum flagitiorum diſſimulatio, quæ exteriori oris habitu ad virtutem compoſito alios celare contendimus. Itaque interior modeſtia, quæ in affectuum regimine ſita eſt, proprie principium eſt exterioris, quæ ex eadem omne meritum haurit; affectus enim rationi, divinæque legi ſubjecti nullam habent amplius vim in corporibus, quæ bene compoſita ſunt.

Nexus inter ſpiritum, & corpus inter hominem interiorem, & exteriorem.

Liquido conſtat Chriſtiani hominis ſanctitatem, & perfectionem nequaquam poſitam eſſe in exteriori corporis habitu modeſto, ac bene compoſito, ſed in cordis puritate, & charitate, & amore Dei: verum neque negari poteſt, modeſtiam, ac verecundiam plurimum ad perfectionis acquiſitionem conferre, ut vere ſanctus, ac virtutibus præditus fias; etenim adeo arctum invenitur corpus inter, ſpiritumque vinculum, inter exteriorem, interioremque hominem, ut quidquid in altero eſt, ſtatim alteri communicetur. Cum motus animi bene ſunt inſtituti, plerumque ita & motus corporis ſunt: quemadmodum e contra cum in motibus corporis aliqua perturbatio invenitur, non deeſt etiam in moribus animi. Quamobrem exterior modeſtia ſemper magnum eſt indicium atque argumentum interioris, non ſecus ac horologii acus certiſſimum indicium eſt compoſiti motus rotarum. Hac de cauſa homines habent in pretio, colunt, admirantur verecundiam, atque modeſtiam, quæ videtur extrinſecus, quia illinc ſemper argumentantur, intrinſecus virtutes latere.

Modeſtia non eſt ſolum ſtudium eorum, qui Deo ſervire incipiunt.

Error eſt arbitrari, modeſtiam eos tantum decere, qui virtutis, ac pietatis ſtudium ingrediuntur; qui profecto initium ducunt ex veſtium, geſtuum, verborumque reformatione, atque hoc pacto, ſe vitam prorſus recentem vivere, & virtutem palam profiteri, oſtendunt: verum ſancti prorſus aliud judicium ferunt, qui uno ore ſentiunt, conſtantem in iis omnibus, quæ ad exteriorem corporis habitum pertinent, modeſtiam, effectum æque ac indicium eſſe perfectæ, conſummatæque virtutis, quæ ex interiori plenitudine, & copia ſeſe effundit extrinſecus in omnes corporis motus, in ſenſus omnes, in omnes actiones, ita ut nihil in homine relinquat, quod ſua careat perfectione. Hoc probatur tot Sanctorum exemplo, quorum modeſtia admirabilis virtutum, & ſanctitatis eorumdem magnitudinem prodidit.

Modeſtia non ſolum eſt nota probitatis, & ornamentum virtutis, ſed illius etiam cuſtos eſt, ac præſidium.

Etiamſi modeſtia, atque verecundia nequaquam tanti momenti eſſe pluribus videatur, perſuaſum nihilominus eſſe debet, illam non ſolum virtutis eſſe ornamentum, verum etiam neceſſariam eſſe ad illius tutelam, atque incolumitatem. Rationem adfert S. Bonaventura; quemadmodum enim natura nullas producit arbores ſine foliis, & ſine cortice, quorum illa quidem ornamenta ſunt, hic vero tutela; & quemadmodum nihil efformavit unquam cui non addiderit aliquid pro ejuſdem ornatu, & præſidio; ſimiliter gratia cujus operationes a natura non longe abludunt, ſed quæ longe ſunt perfectiores, interiorem in corde virtutem non gignit, quin addat externum etiam corporis habitum, de quo verba facimus. Modeſtia, & verecundia cortex eſt, qui medullam interiorem protegit; hæc cuſtos eſt, atque præſidium internæ puritatis, pietatis, & innocentiæ: aufert externum hunc, ut ita dicam, corticem; reliqua brevi interibunt.

Externa modeſtia interiorem gignit collectionem, & viciſſim.

Inde vero clarius innoteſcit, quantopere neceſſaria ſit exterior modeſtia, quia mirum in modum prodeſt, ut noſmet interius colligamus; quemadmodum ſeſe interius colligere cauſa eſt, ut extrinſecus effulgeat modeſtia; & dicere poſſumus alterum viciſſim eſſe cauſam alterius; videlicet cum ſolida virtus intrinſecus latet, non deeſſe in motibus omnibus extrinſecus gravitatem, modeſtiam, & verecundiam; & modeſtiam hanc, quæ ex interiori pace atque humilitate proficiſcitur, producere, vel ſaltem tueri virtutem hanc, pietatem & humilitatem cordis mortificati. Quamobrem Sancti omnes illam ſemper neceſſariam eſſe ad ſanctitatem acquirendam, atque tuendam cenſuerunt.

Occaſiones exercendæ modeſtiæ non deſunt umquam.

Cum de Chriſtianis virtutibus acquirendis agitur, nequaquam illæ ſpectandæ ſunt, quæ magis eniteſcunt, ſed illæ quarum objecta ſeſe frequentius offerunt, & quarum uſus eſt quotidianus. Fatendum quidem eſt, fortitudinem, magnanimitatem, & magnificentiam egregias eſſe virtutes, atque admirationem afferre videntibus illas; at virtutum harum exercendarum occaſiones non occurrunt quotidie. E contra vero modeſtia eſt omnium temporum, locorum, conditionum, atque perſonarum. Ubique igitur micare debet & jure affirmare poſſumus nullam eſſe virtutem, cujus uſus magis late pateat. Inde vero colligitur quanti referat illam non negligere, quod ſenſus omnes dirigens, aufert peccandi occaſiones, ideoque noſtram tuetur innocentiam.

Quid ſit decorum quod eſt objectum modeſtiæ.

Ut liqueat quanam in re decorum conſiſtat, quod rebus in omnibus modeſtia reſpicit, meminiſſe opus eſt in objectis omnibus, quæ noſtris ſenſibus accidunt, adeſſe quamdam illecebram, & neſcio quem leporem, qui efficit, ut nobis placeant, & qui ſi deſit, diſplicent, neque citra moleſtiam ea toleramus. Hæc autem illecebra, lepos hic nihil eſt aliud, quam proportio horum objectorum cum idea, quam de illorum perfectione concipimus, veluti graphice delineata tabella, ædificium, ubi partium ſymmetria diligentiſſime ſervata eſt, placent, & perjucunda ſunt iis, qui pingendi, ædificandique gratias, venereſque cognoſcant; quia non deſunt ibi legitimæ proportiones, quas id genus opera expoſcunt. Ita decor inceſſus, geſtuum, omniumque motuum corporis noſtri nihil eſt niſi lepos quidam videntibus illa placens, quia conformia ſunt ideæ, quam omnes chordati viri conceperunt de ratione illa, qua agendum eſt, & qua in omnibus occaſionibus mortales ſeſe gerere debent, & quæ congruit cum ſtatu noſtro, ſexu, profeſſione, ætate, loco, ubi ſumus, actionibus, quas operamur, negotiis, quæ tranſigimus & perſonis, cum quibus verſamur; ita ut nihil in exteriori corporis habitu inveniatur, quod minime congruat cum idea, quæ habenda eſt de ſingulorum cujuſque in ſuo ſtatu, modeſtia.

Chriſtianus domi quoque, ac privatim modeſtiam debet exercere.

Fideli non ſatis eſſe debet modeſtum eſſe coram oculis hominum, niſi privatim quoque modeſtus fuerit. Regula hæc a ſpiritualibus Patribus traditur hanc adferentibus cauſam, quod, tunc ſolum modeſtos eſſe, cum videmur, ac metuendi locus adeſt, ne actiones noſtræ obſerventur, vel notentur, hypocriſis eſt, vel humanus reſpectus. Verecundi, modeſtique ſumus, donec aliorum in nos converſi ſunt oculi; timemus, ne exiſtimationis jacturam ſubeamus, ne levitatis, ſtupiditatis, & immodeſtiæ nomine redarguamur: ſed privatim modeſtos eſſe, ubi nullum virtutis noſtræ teſtem habemus præter Deum, indicio eſt, nos hoc unum quærere quomodo illi placeamus, noſque uno tantum illius adſpectu in officio contineri.

Immodeſtia vitium eſt, quod ſeſe facile communicat.

Certum eſt, nullum eſſe vitium, quod citius ſeſe communicet, ac celerius ſeſe effundat, quam immodeſtia: ſeu quod cum non æque turpe, flagitioſum, ac deforme ſit, ac reliqua vitia, minorem adhibemus curam, ut ab eodem nobiſmet caveamus; ſeu quia cum plerique actus immodeſtiæ habeantur veluti lepores, ac veneres, nec non ingenii liberi, hilariſque argumenta, vel tamquam licentiæ, quæ a mundo probantur, & quas erga quoſdam homines licere arbitrantur, omnia hæc prava exempla arripiuntur, eorumque labes ſemper contagionem late diffundit.

De impudentia quæ gravior eſt immodeſtia & perniciosiſſimum ſcandalum.

Si in terris gravius ullum daretur malum peccato, hoc impudentiam eſſe jure affirmaremus, quæ prætérquamquod criminoſiſſima eſt immodeſtia, peccatis aliis nequiorem ipſo peccato communicat improbitatem. Etiamſi hæc una adeſſet infeliciſſima ſtupiditas, quæ hominibus & metum aufert, & verecundiam, eiſque audaciam adfert infames actiones perpetrandi contra conſcientiam, & honeſtatem, quas ſimul, & ſemel amittunt; hoc tamen ſufficeret, ut imprudentia vitium eſſe vitio ipſo deterius oſtenderetur. Itaque impudentiæ natura, ac proprium eſt, ut ſit procax, & effrænis audacia nefarias actiones ſine metu, ac pudore efficiendi, quemadmodum in quibuſdam peccatoribus intuemur, qui propter libidines ſuas, ſceleratamque oſtentationem, ſcandalum fiunt civitatum, & Provinciarum. Cum nihil reliquum eſt illis conſcientiæ, aut virtutis, qua in officio contineantur, adeo imprudentes ſunt, Sanctus Auguſtinus ait, ut neque honeſtas; neque modeſtia illos valeat coercere: *Non frænat illos verecundia, quia pleni ſunt impudentia.* Itaque impudentia non ſolum eſt vitium infame in ſpecie ſua particulari: ſed ut ex propria ipſius diſtinguatur improbitate, proterviam ſuam vitiis omnibus communicat; niſi enim adeſſet impudentia, vitium prodire erubeſceret: omnia enim vitia natura ſua infamia ſunt, ſuamque fere ſentiunt infamiam; quæ res tantum illis pavorem immittit, ut non audeant prodire cum ea, quam gerunt, turpitudine, atque deformitate, niſi impudentia gignat audaciam, atque effrænem procacitatem.

In quo differant modeſtia, & pudor.

Pudoris objectum eſt averſio ab iis omnibus externis rebus, quæ ſunt caſtitati contrariæ; quas neque in ſe, neque in aliis pati poteſt. Modeſtia vero procul amovet quidquid in exteriori corporis ſpecie indecorum eſt, veluti in oculorum conjectu, verbis, geſtibus, indumentis, quorum immodeſtia ſignum, & effectus eſt mentis incompoſitæ. Hæ tamen virtutes duæ ita ſibi ſimiles ſunt, ut ſæpius confundantur, vel ſimul conjungantur, quippe quæ eoſdem habent effectus: ſed ut preſſius loquamur, dicere oportet, modeſtiæ ſignificationem latius patere, vel pudorem eſſe partem dumtaxat modeſtiæ, ita ut quidquid pudorem lædit, neceſſario lædat etiam modeſtiam, non tamen e contra quod modeſtiæ adverſatur, hoc & pudori neceſſario adverſari cenſendum eſt. Hoc liquido patet ex utriuſque virtutis objecto. Si enim pudor longe amovet quælibet exteriora, quæ oriri poſſunt ex deſideriis, & ſenſibus oppoſitis pietati, qualia ſunt inhoneſta verba, laſcivi obtutus, licentiæ, quæ vel minimum quid officere poſſunt puritati; ambigi nequit modeſtiæ non eſſe, ab illis abſtinere, eaque cane pejus, & angue evitare. At pudor non ſemper læditur incedendi immodeſtia, geſtibus nimium vaſtis, verbis nimium aſpris, aut vocis tono nimis elato, aliiſque id genus defectibus, quæ urbanitati duntaxat, ac decoro omnibus in rebus ſervando adverſantur. Ita quemadmodum modeſtia pars eſt temperantiæ, pudor ſimiliter pars eſt modeſtiæ.

Modeſtia ſæpe in latiori deſumitur ſenſu, & pro temperantia accipitur cujus tantummodo eſt pars.

Ea, quæ modeſtia regere, vel moderari tenetur, ex S. Thomæ, aliorumque Theologorum ſententia, ad quatuor capita rediguntur, quæ totidem diverſas virtutes efficiunt. Primum reſpicit motus ſpiritus ad excellentiam tendentes, uti ſunt ambitio, ſuperbia, vanagloria, qui motus reprimuntur, reguntur, cohibentur per humilitatis virtutem, quæ nonnumquam modeſtiæ nomine appellatur, ſub quo tantum Ethnicis cognita fuit. Alterum reſpicit deſideria ſcientiarum, & cognitionum, quæ ſæpe nimis ardentia ſunt, ac indigent moderatione; hæc autem deſideria moderatur affectio, vel ſtudium honeſtum oppoſitum curioſitati. Tertium reſpicit exteriores actiones in ludis, atque ſolatiis, ut omnia honeſte, ac decenter fiant, ut oportet, non ſecus ac in feriis, nec deeſt peculiaris virtus his quoque rebus præpoſita. Quartum denique reſpicit exteriores corporis motus, in quibus præſertim occupatur modeſtia tamquam virtus particularis. At quamquam proprie loquendo noviſſimum tantummodo obtineat locum inter partes temperantiæ, non ideo tamen virtus eſt minus excellens, minus neceſſaria, & quæ ſatis poſſit æſtimari.

In decoro ſervando vitanda ſunt extrema vitioſa tam exceſſus, quam defectus.

Quemadmodum Philoſophi virtutes omnes in quadam mediocritate conſtituunt, ab extremis vitioſis æque diſtantes: ita ut modeſtus neque nimium levis eſſe debeat, neque gravis nimium in externo corporis habitu, nec nimis liber, neque cautus nimis in humanis cœtibus, neque nimis amator, neque inimicus nimis ſolatiorum; neque nimis negligens, neque adfectatus nimis in verbis, & geſtibus: ideo S. Paulus primis fidelibus etiam, atque etiam commendans modeſtiam præcipit illis, *ut Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant*: 1. Cor. 14. & S. Auguſtinus lib. de vita beata modeſtiæ nomen a moderationis vocabulo deducens, addit ad hoc ut bene ſervetur, opus eſſe ne quid nimis fiat, & ne quid parum: *Modeſtia utique dicta eſt a modo; ubi autem modus eſt, nec plus quicquam, nec minus.*

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & recentioribus Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Quo in pretio habenda ſit modeſtia.

CAvendum eſt quam diligentiſſime, ne virtus hæc negligatur, vel contemnatur, vel ne humilis de eadem foveatur conceptus, eo quod exterior corporis habitus, in quo regendo occupatur, non eſt in aliqua virtute eſſentialis. Quemadmodum enim ipſe effectus eſt, atque certiſſimum indicium, unde interiorem partem optime compoſitam eſſe intelligimus; ſimul etiam ab hominibus habetur in pretio, & eum, in quo reperitur, acceptum, & jucundum efficit in oculis Dei. Ipſa eſt in animo, non ſecus ac virtutes reliquæ, Sanctus Petrus Apoſtolus in 1. epiſtol. cap. 3. inquit, licet in exteriori corporis ſpecie refulgeat. Non ſecus ac oris color elegans ex bono proficiſcitur temperamento; ita modeſtus oris habitus, qualis cujuſque ſtatum docet, oritur ex anima bene inſtituta, ex qua in corpus reſiliunt perfectæ valetudinis, qua gaudet, indicia. Hæc virtus eſt, quæ in vulneribus noſtris exhibet cæterarum virtutum lineamenta, quæ illas videndas præbet, licet ſint ſpirituales; quæ efficit, ut in pretio habeantur, & perquirantur ab illis etiam, qui ab earum exercitatione maxime abhorrent, & quæ ex ipſis etiam peccatoribus confeſſionem extorquet, non deeſſe ſibi illecebras, adverſus quas ſe ipſos tueri non poſſunt. *P. Haineuve. De ordine parte 3. ſerm. 39. qui totus eſt de modeſtia.*

Quam rata ſit hæc virtus in mundo.

Audire ſatis eſt modeſtiæ nomen, quod ex moderatione